



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 443. 444. De bonis traditis in Husleri et Densum in pagis Logne et
Guddinge.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
1010 vf-
que 1014
regnante
Heinri-
co II.

§. 443.

Tradidit luthardus pro patre suo godefcalco XXX iugera in *husleri* (d).

§. 444.

Tradidit uuirinbertus pro patre suo bernhario unam familiam in *densum* (e).

§. 445.

Tradidit borchardus comes pro patre suo fiberto I familiam in *hrothwardesbus* (f).

§. 446.

De villa
Husleri
in pago
Logne.

(d) *Husleri* villa erat in pago *Logne*, annotante abbate Sarachone in Registro, Procul dubio designatur oppidum *Uiler* in principatu Calenbergico, silue Söllinge confine. De *Lutbardo* eiusque patre *Godefcalco* vide supra §. 104. not. (l).

De villa
Densum
in pago
Guddin-
go.

(e) Villam *Densum* collocat abbas Saracho in pago *Guddinge*. Significari intelligimus vicum *Deinsen* non procul a vico *Bruggen*, ad celebratissimos dominos liberos barones de *Steinberg* spectante. Hi et in villa *Densen* bona tenent feudalia ab ecclesia Corbeienfi et *Gandersheimenfi*. De *Werinberto* eiusque patre *Bernhario*, probabilissime ad progenitores dynastarum de *Hoinboken* referendis, vide supra §. 104. not. (n).

De villa
Hroth-
wardes-
bus in
pago
Flotwita.

(f) Villam *Hrothwardesbus* existisse in pago *Flotwita*, docet nos abbas Saracho in Registro sapissime excitato. Pagum *Flotwita* fuisse in aliqua ducatus *Luneburgici* atque diocesis *Hildesheimensis* parte ad fluium dictum die *Aller*, diximus iam supra §. 193. In eadem ergo regione querendam esse villam *Hrothwardesbus*, nullum restat dubium. An autem indicetur *Roddensen* vel *Robrsen* haud procul ab oppido *Burgtorf* in Principatu *Luneburgico*, id in disceptationem venit. Quicumque autem sit ille vicus, stat tamen sententia, circa annum 1013 comitem quendam *Burchardum* in pago *Flotwita* bona possedisse hereditaria, quæ ille probabilissime a patre suo *Siberto* iure hereditario accepit. Hunc *Sibertum* fuisse illum, qui supra §. 399 appellatur filius *Thiadrici*, quem comitem palatinum nominat *caesar* *Heinricus* in diplomate supra §. 104. not. (w) allato, negari non admodum posse, censemus. Quemadmodum enim *Sibertus*, teste §. 399, in *Astfala* in pago *Falhen* bona hereditaria tenuit, ita quoque *Thiadricus*, palatinus comes, in pago *Astvala* circa castellum *Mundburg* in ripa *Aleræ* fluminis comitatum suum habuerat, testante diplomate l. c. adducto, e cuius situ colligendum videri putamus, eosdem ex vno semine fuisse procreatos, vti ostendimus supra §. 104. not. (w); *Burchardum* comitem fuisse eundem, qui palatinum *Saxonie* tenuit, probabilissimum erit. Eius patruus *Thiadricus* eundem habuerat palatinum, quo ad annum 995 mortuo, *Fridericus*, e domo *Sommerschenburgica* natus, palatinum *Saxonie* nactus fuit, teste *Ditmaro* *Tom. I. Leibn. p. 352*, qui *Fridericus* adhuc anno 1002 in vivis erat, vti ex *Ditmaro* l. c. patet p. 368. Ipse eodem anno vitam cum morte videtur commutasse. Anno enim primo regni *Heinrici II*, id est, 1003. denuo *Burchardus* comes palatinus erat, vti patet ex *Maderi Antiquit. Brunsvic. p. 208*. Cum autem idem *Burchardus* Comes Palatinus mortuus sit anno 1016, *Annalista Saxone* teste p. 441, sequitur inde, bona, ad villam *Hrothwardesbus* sita, eundem tradidisse ante annum 1016. Sed obiicere videris, si *Burchardus* noster comes palatinus fuit, cur non idem in traditione nostra appellatur palatinus? Respondemus cum illustri *Grubero*, palatinos comites in documentis et litteris, quæ non spectabant ad eorum negotia palatina, sæpe tantum appellari *comites*, vti *Ansfriidus* comes palatinus id exemplo suo docere nos potest.